

sus etc. ». Itaque sicut una est Ecclesia, ita unus est Episcopatus, h. e. una auctoritas quae Ecclesiam regit: quamvis enim plures sint huius auctoritatis participes, quia tamen hi una conveniunt, unumque coetum constituunt, unus est reapse Episcopatus sicut una est Ecclesia ex multis membris coalescens. Uniuntur autem Episcopi propter cathedram Petri, quae est origo unitatis, et super quam fundata est Ecclesia; ergo unitas Episcopatus asserta a Cypriano non excludit, sed imo supponit Primatum Petri. Cur ergo dixit: « cuius a singulis in solidum pars tenetur? nempe cuius singuli participes sunt *in unitate*, seu *in unitatem coeuntes*; non quod singuli sint pastores universales: cum idem ad Cornelium ep. LV dixerit « singulis pastoribus portionem gregis esse adscriptam, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus ». Interpretationem hanc a nobis traditam de unitate Episcopatus ne dum phrasim patitur, sed totus contextus unam exigit; in quo de unitate eiusque necessitate disseritur. Porro quod omnes Episcopi participes sint Episcopalis auctoritatis res est evidens; non dicit autem Cyprianus quod omnes eodem modo participes sint; et certe ipse Cyprianus Episcopus Carthaginiensis quamdam specialem auctoritatem sibi vindicabat super Episcopos Africae: cum autem superius praedicaverit Primatum Petri, eumque originem esse dixerit unitatis, iam virtute affirmavit eam Episcopalem auctoritatem competere Petro, quae, quin excludat consortes in Episcopatu, sit tamen Primatui conveniens.

Perperam vero ad defendendam haeresim richerianam ad Augustinum provocatur. Ipse enim, aiunt, pluries id docet quod monuit in Psal. CVIII. « Sicut quaedam dicuntur quae ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in discipulos habuit: sicut est: tibi dabo claves regni caelorum, et si qua sunt eiusmodi ». Et in Lib. de Agone Christiano c. 30. « Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiae catholicae personam sustinet Petrus. Huic enim claves regni caelorum datae sunt, cum Petro datae sunt; et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me: pasce oves meas ». At contra: 1) repraesentatio Ecclesiae, quam gerit Petrus, est repraesentatio iuridica propria Regis, seu capitis societatis: repraesentat enim *propter primatum quem in discipulos habuit*. 2) Ecclesiae datas esse claves dupliciter intelligi potest: a) propter bonum Ecclesiae; hoc quidem verum est, sed, ut iam ab initio vidimus, id nihil iuvat richerianos: b) ita ut Ecclesia sit subiectum potestatis: hoc autem rursus dupliciter accipi potest; nempe a) ut immediate et prius Ecclesiae universae vel pastorum coetui datae sint claves,

et per Ecclesiam Petro: β) ut Petro datae sint claves ita ut semper deberent esse in Ecclesia, h. e. datae sint Petro non ut persona privata erat, aliquando moritura, sed ut erat persona iuridica in successoribus suis semper duratura; ideoque datae sint Petro claves ut eas semper Ecclesia in Petro et successoribus suis habeat, atque in aliis quibus communicantur a Petro. Porro secundus hic sensus, non prior, intentus est ab Augustino; qui a doctrina eiusdem de Primatu Petri alibi et heic quoque disertissime tradita flagitatur. Atque hic est *illustris intellectus*, quem habent verba Christi, quae non privilegium alicuius privatae personae, sed munus et potestatem publicam in bonum perenne Ecclesiae manifestant. Habet ergo Ecclesia claves, quia Petrus pars eius praecipua, sive caput, eas accepit adhibendas pro Ecclesia, et communicandas ceteris. Ratio vero cur Augustinus hanc declarationem frequenter urgeat, fuit haeresis Novatianorum, qui contendebant Petro ut privatae personae datas fuisse claves, easque cum eo desiisse; ideoque non esse amplius in Ecclesia potestatem clavium.

Ergo per potestatem Petro collatam Christus monarchici regiminis formam in Ecclesia constituit; et quidem ita, ut non tantum voluerit exercitium potestatis supremae esse penes unum (caput ministeriale), eadem potestate existente in universa Ecclesia; sed ut uni Petro ipse Christus immediate contulerit potestatem supremam, ceteris autem participationem eiusdem non nisi per Petrum, et dependenter a Petro.

Ergo divinam institutionem Ecclesiastici regiminis prorsus non intellexerant qui sec. XV aetate Concc. Constantiensis et Basileensis contendebant auctoritati Synodi generalis subiiciendum esse Rom. Pontificem, eademque generales Synodos certo quovis temporis spatio in perpetuum celebrandas esse. Id enim proprium est societatum, quarum plena potestas sit penes plures, vel prorsus omnes cives, vel optimates saltem.

THESIS XIX.

Perperam contra hactenus statuta de iurisdictione Romani Pontificis argumenta petuntur vel ex dignitate Christi, vel ex defectu continuitatis Romanorum Episcoporum, vel ex reiecto a S. Gregorio M. titulo Episcopi oecumenici, vel ex hierarchica subordinatione, vel ex aliquorum Patrum quibusdam sententiis.

I. Solvenda sunt quaedam argumenta adversariorum, quae urgentur contra doctrinam statutam in praecedentibus Thesibus. Aiunt enim: 1° Christus etiamnum caput est et principium efficiens unitatis Ecclesiae; non ergo opus est Romano Pontifice ad hunc effe-

ctum: ipseque Romanus Pontifex membrum est huius corporis, cuius Christus est caput. Praeterea 2^o deficiente Romano Pontifice etiam per plures annos, manet Ecclesia una, eademque ac prius. 3^o Gregorius M. reprobavit et reiecit titulum *Episcopi universalis*; non est ergo talis Episcopus Romanus, et proinde non habet iurisdictionem immediatam in universam Ecclesiam. 4^o Subordinatio hierarchica postulare videtur ut inferiores immediate subsint mediis, hi immediate supremis; quod si fideles immediate subsint pluribus h. e. Episcopo et Papae, confusio regiminis existet. Et re quidem vera 5^o Deus non confert potestatem, cuius exercitium est impossibile; atqui nequit Romanus Pontifex omnes fideles immediate regere: ergo. 6^o Cyprianus in Conc. Carthag. III in causa rebaptizationis negat quemquam ex Episcopis esse Episcopum episcoporum; Hieronymus vero epist. CI ad Evangelum inquit, quod « ubicumque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli etc. eiusdem meriti et eiusdem est Sacerdotii ». Sixtus autem III, ad Episcopos Illyricos scribit quod « ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem et vigorem suum perdit, et non tenet, quam habuerat, dignitatem »: ergo.

II. Iam vero ad 1^m. a) Satis responsum est in doctrina praestituta in Thesi XII. Christus enim solus est principium efficiens unitatis per influxum seu gubernationem interiorem: verum et gubernatio exterior requiritur et exterius proposita norma credendi et agendi ad quam sequendam promovet Deus interius per gratiam suam mentes et voluntates; porro huius gubernationis exterioris, per quam socialis unitas obtinetur, Christus principium est per suum Vicarium: ergo.

b) Iam declaratum est Th. XII. quomodo Romanus Pontifex et membrum sit et sit quoque caput Ecclesiae corporis Christi. Nec ex eo quod pars est Ecclesiae sequitur ipsum toti Ecclesiae non praeesse; non enim cum dicitur praeesse toti Ecclesiae, tota Ecclesia intelligitur *caput et reliquum corpus*, sed reliquum corpus tantum, cuius Romanus Pontifex est caput. Pars est ergo intrinseca totius corporis Ecclesiae Romanus Pontifex; sed pars eminentior, h. e. caput ceteris membris praesidens: membrumque, si vis, est, sed membrum illud, quod dicitur *caput*.

Ad 2^m advertenda sunt haec. 1) Ecclesiae regimen, cum inter homines sit, custodiri non posse nisi humano modo, nisi velit Deus subsidium per miracula praestare, quod alienum est ab eius ordinaria providentia. Porro 2) ut regimen monarchicum in societate perseveret, necesse non est ut perennitas monarchiae sit *physica*, sed sufficit *moralis*, h. e. ut morali modo, prout inter homines solet et

fieri potest, existente subinde aliqua interruptione, pergat esse aliquis monarcha in societate. Necesse vero est 3) ut forma regiminis monarchici perennis sit *physice*, h. e. necesse est ut semper perseveret ea forma regiminis quae propria est monarchiae, licet, pro diverso statu eiusdem, alio et alio modo. Si enim haec forma desinit, alia forma regiminis succedet, cum aliquam esse oporteat, si societas manet; si autem alia vel aristocratica vel democratica forma succedit, cessat simpliciter monarchia. Ut ergo regimen monarchicum in societate perseveret, forma huius regiminis, licet diverso modo pro diverso statu societatis, sive vivente sive defuncto monarcha, durare semper debet. Id autem quomodo fiat intelligi poterit ex demonstratione, quam mox damus probaturi eam formam monarchici regiminis perseverare semper in Ecclesia etiam defuncto Pontifice. Sane 4) defuncto Pontifice a) potestas suprema regendi neque in toto Ecclesiae corpore, neque in Episcopis reperitur; habetur b) necessitas electionis Romani Pontificis ut ea potestas existat in Ecclesia: unde c) nequit eo tempore aliquod dogma definiri, nequit ulla lex proprie dicta, quae nempe iam ex se sit perpetua, stabiliri; sed d) munus quod tunc Ecclesiae incumbit, est electio Pontificis: neque e) potest ulla lex lata aut confirmata a Romano Pontifice tunc abrogari; sed Ecclesia tunc quoque regitur eo iure quod statutum est a Romano Pontifice. Potestas quidem f) Episcoporum manet, quia etsi a Pontifice sit, ea tamen ordinaria est, muneris episcoporum annexa, idque exigitur a bono Ecclesiae: est tamen potestas subordinata adhuc potestati Vicarii Christi, quia est potestas ex se incompleta, insufficiens gubernationi Ecclesiae, exigens potestatem capitis a quo secundum Christi institutionem Episcopi regantur. Nimirum obligatur adhuc societas lege instituyente Primatum, huius necessitas in societate existit et Ecclesia est quidem adhuc corpus, sed corpus visibile acephalum, et ideo unum adhuc est, quia potestas qua regitur est potestas quae a Pontifice dimanavit, et quae adhuc subordinatur potestati Primatus. Haec omnia constant ex probatis de Primatu iurisdictionis, eiusque collatione immediate et directe facta Romano Pontifici. Atqui haec regiminis forma non est democratica, neque aristocratica; tunc enim plena potestas regendi esset penes totam Ecclesiam vel coetum Episcoporum; soluta esset lex Primatus, neque amplius necesse foret eligere eum qui Primas esset. Si qua ergo forma regiminis manet (manet autem certe aliqua) ea dici debet monarchica. Et sane adhuc se gerunt Episcopi, ut se gerebant vivente Pontifice, scilicet utuntur ea auctoritate quam ab ipso acceperunt, non sibi vindicant vel simul omnes potestatem supremam plenamque in Ecclesia, Capitisque necessitatem quo re-

gatur tota Ecclesia recognoscunt. Manet autem forma regiminis monarchici, sed diverso modo: h. e. manet incompleta et complenda: completa vero est cum existit actu Primas. In priori statu est ordinatio totius Ecclesiae ad subiectionem Primati; in altero est actualis subiectio. Itaque subordinatio potestati Primatus perdurat semper in Ecclesia. Unde et dicitur Sedes Romana manere defuncto sedente. Sedes enim vel cathedra Romana sunt iura Primatus, potestas suprema universalis regendi, docendi; quae potestas manet, quatenus manet lex institutionis perpetui Primatus, et subordinatio Ecclesiae ad eum. Hoc autem est essenziale et necessarium in societate monarchica: perennitas autem physica personae Principis necessaria non est. Quocirca deficiente Romano Pontifice manet adhuc Ecclesia eademque una, distinguo: *complete*, nego: *incomplete*, et ita ut una adhuc sit propter subordinationem ad potestatem Primatus Romani Pontificis, ideoque ipse sua auctoritate est in Ecclesia principium efficiens unitatis, *conc.*

Ad 3^m. Advertendum est 1^o quod titulus *oecumenicus* seu *universalis* Episcopo attributus dupliciter accipi potest. Primo ut Episcopus oecumenicus intelligatur ille qui ita universim plenitudinem episcopatus obtinet ut is sit solus vere Episcopus; quemadmodum si homo universalis actu existeret, foret reapse unus tantum homo non plures. Secundo ut ille dicatur Episcopus oecumenicus seu universalis, qui non exclusis aliis Episcopis vocatis in partem sollicitudinis, universam Ecclesiam immediate regat. Clarius iste appellatur *Episcopus Ecclesiae universalis seu catholicae*. Hoc altero quidem sensu Romanus Pontifex vocatur Episcopus oecumenicus seu universalis Episcopus scilicet totius Ecclesiae, quam immediate regit simul tamen cum aliis sibi subordinatis pastoribus. Hoc posito dicimus 2^o quod S. Gregorius M. non negavit sibi rem significatam titulo Episcopi oecumenici seu universalis altero sensu accepti. Sane epistolarum L. IX ep. 12^a (edit. Ioannis Baptistae Gallicciolli Venetiis 1770) inquit: « De Constantinopolitana Ecclesia quis dubitet eam Sedi Apostolicae subiectam esse? » et ibid. ep. 59. ait: « Nescio quis ei (Sedi Apostolicae) Episcopus subiectus non sit? » et ibid. epist. 116^a. « Quae Sedis Apostolicae fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitae usurpationis molestia quati posse... nil egere firmitatis quae semel eius auctoritate sancita sunt »: hi autem characteres sunt episcopatus universalis. Rursus ep. 43^a L. V. ad Eulogium episc. Alex. et Anastasium episc. Antioch.; et ep. 18. ibid. ad Ioannem Ieiunatorem advertit Pelagium praedecessorem suum abrogasse acta illius Synodi Constantinop. in qua Ioannes idem Ieiunator titulum *Oecumenici* sibi arrogaverat: qui actus Pelagii est certe actus potestatis huius uni-

versalis. Ipseque Gregorius L. VI, ep. 15^a presbyterum perperam damnatum a iudicibus datis a Ieiunatore causa cognita absolvit, iussitque eundem Episcopum Constantinop. bene illum suscipere, quod quidem Gregorius non nisi auctoritate Episcopi universalis facere potuit. Tum L. III, ep. 6. Ioannem Episcopum primae Iustinianae (quae urbs erat in Macedonia, patria Imperatoris Iustiniani) reprehendit et punit « ex b. Petri Principis Apostolorum auctoritate » decernens ut triginta dierum spatio sacra communione abstineat; quia in Adrianum Episcopum Thebanae civitatis (quae erat in Thessalia et suberat metropolitae Larissaeo) qui a suo metropolita male habitus appellaverat Romam, sententiam tulerat post interpositam appellationem, ac sententiam iniquam. Hic porro actus est supremae iurisdictionis in universam Ecclesiam. Idem L. VII, ep. 19^a testatur quod se « cunctarum Ecclesiarum iniuncta sollicitudinis cura constringat ». Idem L. V, ep. 20^a ad Mauritium Imperat. super hac re significat diserte licuisse Petro nomen sibi vindicare *Apostoli universalis*: « Cunctis evangelium scientibus liquet quod voce dominica b. Petro totius Ecclesiae cura commissa est (idque probat allatis testimoniis Matth. XVI, Luc. XXII, Ioan. XXI). Ecce *cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur*, et tamen universalis Apostolus non vocatur: et vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari universalis Episcopus conatur! » Quo argumento humilitatis Petri superbiam Episcopi Constantinop. Romanus Pontifex retundit.

Cur ergo 3^o illum titulum Gregorius nedum repudiavit, sed vocavit *novum et profanum vocabulum, nomen blasphemiae, perversum vocabulum, novam superbiam, pompaticum sermonem, stultum ac superbum vocabulum, verbum superbiae, nefandum et selestum elationis vocabulum* in litteris hac super re datis ad supra dictos Patriarchas, ad Imperatorem Mauritium, ad Constantiam Augustam, ad ipsum Ioannem Ieiunatorem, ad Cyriacum eius successorem, ad Anianum Diaconum Constantin.? (cf. L. V, epist. 18^a, 20^a, 43^a, L. VII, 4^a, 27^a). Et quidem vocabulum hoc vocat *temerarium* et *profanum* tum cum testatur quod ipsum a S. Chalcedonensi Synodo oblatum est Pontifici Sedis Apostolicae L. V, ep. 43^a; ac si usurpatum quoque a Romano Episcopo habendum esset ut profanum: « Sed nullus, inquit, decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consentit; quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur; sed absit hoc, absit a Christiani mente id sibi velle quempiam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulumcumque parte videatur ». Cf. ibid. ep. 18^a. Itaque advertendum est a) usurpationem huius tituli quem sibi Ioannes Ieiunator Episcopus Constantinop. vindicaverat pertur-

bationem et scandalum genuisse in universa Ecclesia: id testatur Gregorius epist. 18^a L. V, ad ipsum Ioannem, et ibid. epist. 20^a ad Mauritium Imperat. b) Titulum *Oecumenici* neutro sensu potuisse competere Episcopo Constantp.; eiusdemque tituli ab eo factam usurpationem flagitium fuisse arrogantia et superbia plenum. c) Seposita quaestione an huic titulo qui fiat Rom. Pontifici sensus verus subesse possit, quod negari nequit, ac seposita quaestione quo sensu eum sibi usurpaverit leiunator, qui forte id solum voluit significare, nempe se esse Patriarcham principem in Oriente; historice certum est Gregorium hunc titulum in priore sensu a nobis explicato, ut nimirum sit unicuique Episcopus et Patriarcha, in hac controversia accepisse, et propter hunc sensum titulum eundem damnasse, et a se quoque reiecisisse. Id constat ex omnibus epistolis hac super se datis. « Eo perductus es, ait Pontifex ad Ioannem, ut despectis fratribus Episcopus appetas *solus* nominari ». Et ad Constantiam Augustam scribens conqueritur quod Ioannes « *solus* conatur Episcopus appellari ». Quare Gregorius eum comparat Antichristo (epist. XXX, L. VI, ad Mauritium): « quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est qui *solus sacerdos appellari appetit*, super ceteros sacerdotes se extollit ».

Atque hanc rationem esse putamus cur Gregorius titulum hunc oblatum quoque ab oecumenica Synodo Romano Pontifici (nempe in quibusdam litteris lectis in ea Synodo. Vid. Th. XIII, n. III.) appellet *profanum*, et a se repudiet, ac testetur repudiatum merito esse a praedecessoribus suis (Leo M. sane non se dixit *Episcopum universalem sed Episcopum Ecclesiae universalis*, qui titulus non praefert nisi alterum sensum ex duobus superius explicatis); quia nimirum eo sensu priore acceptus detrahit honorem debitum ceteris Patriarchis et Episcopis. Ut autem ita indicaret Gregorius non fuit opus ut ipse censeret titulum illum per se spectatum hunc falsum sensum fundere, sed satis fuit quod tunc ita acciperetur vel facile accipi posset, aut probabilis suspicio esset quod ita acciperetur, et quod haec Gregorius adverterit. « Si enim, ait ep. 43^a L. V.) hoc dici libenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit qui universalis dicitur, nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis (h. e. verus Episcopus) invenitur »: et L. VIII, ep. 30^a ad Eulogium Alex. « meus honor est honor universalis Ecclesiae: meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo vere honoratus sum cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum ». Hanc esse sententiam Gregorii reiicientis a se appellationem *Episcopi univer-*

salis constat tum ex dictis nn. 1 et 2, tum ex ipsa Primatus natura optime Gregorio perspecta. Porro mirari decet hac in re modestiam singularem optimi Pontificis, qui pro Ecclesiae pace contra insolentem superbiam graecam humilitate romana dimicare statuit, ita tamen ut fortiter rem gereret, comminatus etiam excommunicationem Cyriaco successori Ioannis si in tam iniqua usurpatione persisteret. « Eum de superstitioso et superbo vocabulo (ait ad Anastasium ep. 27^a, L. VII.) admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem praedicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit ». « In isto enim scelesto vocabulo (quod sibi arrogabat Episcopus Constantp.) consentire (ut idem Gregorius ait ad Sabiniannum Diaconum suum apocrisiarum apud Imperatorem ep. 19^a, L. V.) nihil est aliud quam fidem perdere ». Periclitabatur nempe fides de auctoritate Episcoporum et Romano Primatu. Non vero censebat Gregorius hoc ipso haeticum Episcopum Constantinopolitanum, qui hunc sibi titulum asserebat; sed crimen potius intolerabilis superbiae, quam errorem in fide arbitrabatur, licet ad fidei quoque perversionem progressum fieri posse videret, quod et tandem contigit.

Occasione huius controversiae adverte 1^o S. Gregorium ep. 40^a, L. VII. affirmare sedes tres Romanam, Alexandrinam, Antiochenam esse unam unius nempe Petri sedem, cui tres Episcopi praesident. Unitas vero haec non est nisi secundum quid ratione originis seu institutionis ab eodem Petro, non vero simpliciter ut sit aequalitas potestatis, multoque minus identitas. Nam ibidem quidem ait: « Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam qui firmitatem mentis traxit ex nomine, ut Petrus a Petra vocaretur »; at cum tres illas Sedes a Petro esse docet, tamen sedem antiochenam dicit *firmatam*, alexandrinam *decoratam*, romanam vero *sublimatam* a Petro, cui omnes Episcopos subesse alibi affirmat.

Adverte 2^o Gregorium ita arguere ad retundendam Episcopi byzantini temeritatem et audaciam ep. 18^a, L. V. « Certe Petrus Apostolorum primus membrum sanctae et universalis Ecclesiae (al. primum membrum etc.) Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud quam singularium sunt plebium capita? et tamen sub uno capite omnes membra ». Quid ergo? nonne omnes Apostoli iurisdictionem habebant universalem? Scilicet illis eam singularitatem in episcopatu attribuit quae excludit eam universalitatem episcopatus ut unus sit tantum vere Episcopus; non eam singularitatem quae excludit universalitatem episcopatus patientem secum et sub se alios plures veros Episcopos, qualis est universalitas episcopatus Romani Pontificis: quam S. Gregorius certe agnovit.

Ceterum ut hanc quaestionem finiamus, nihil impedit quominus
PALMIERI. De Rom. Pont.